

«AD SACRAM COMMUNIONEM NE ADMITTANTUR...» ADNOTATIONES IN CAN. 915

SUMMARIUM: Articulus conscriptus in honorem rev. patris U. Navarrete tractat canonem 915 de admissione ad sacram communionem. Agitur de ministro qui admittit; quid requiritur ut aliquis admittatur? Comparamus verba canonis 855 CIC 1917 cum dictis codicis anni 1983. Deinde explicantur verba canonis 915 CIC 1983: de excommunicato et interdicto; de verbis «manifesto» et «grave peccatum»; de exemplis adductis in Magisterii scriptis. Sequuntur conclusiones.

In canone 915 de eis agitur personis, quae ad sacram communionem non sunt admittendae:

«Ad sacram communionem ne admittantur excommunicati et interdicti post irrogationem vel declarationem poenae aliique in manifesto gravi peccato obstinate perseverantes».

Norma datur quae pastorali non caret momento ac pondere.

Canon non alloquitur communicaturos, ut fit in canone 916¹, sed eos qui de eorundem decernunt admissione, scilicet sacrae communionis ministros, ut erui potest e canone 843 par. 1². In Codicis Iuris

¹ «Qui conscius est peccati gravis, sine praemissa sacramentali confessione Missam ne celebret neve Corpori Domini communicet, nisi adsit gravis ratio et deficiat opportunitas confitendi; quo in casu...»

² «Ministri sacri denegare non possunt sacramenta iis qui opportune eadem petant, rite sint dispositi, nec iure ab iis recipiendis prohibeantur».

Canonici schemate anni 1980 simpliciter de *ministris* sermo erat a quibus ius esset christifidelibus sacramenta recipiendi³. In codice autem anni 1983 statuatur *ministros sacros* denegare non posse sacramenta iis qui opportune eadem petant, rite sint dispositi, nec iure ab iis recipiendis prohibeantur (c. 843 par. 1). Quo modo de sacrae communionis extraordinariis ministris in hoc canone nihil amplius dicitur. Christifidelium tamen *ius* est sacramenta petendi a solis ministris sacris, si adiri possint (cfr. c. 213). Ministris extraordinariis non est officium sacramenta administrandi iis qui adimpleant canonis 843 par. 1 condiciones, si adsint ministri sacri, cum tantum eorum suppleant officia (cfr. c. 230 par. 3). Aliquo autem modo et ministris extraordinariis videtur adhibendum praescriptum canonis 843 par. 1. In canone 911 par. 1 statuatur officium cuiuslibet sacrae communionis ministri Eucharistiam per modum Viatici ad infirmos deferendi saltem in casu necessitatis. Qua de causa et in eos videtur tandem aliquando incumbere munus ad sacram communionem admittendi, qui iure non prohibentur (can. 912), ac non admittendi, qui iure prohibentur (can. 915).

Communicaturus ut admittatur, sufficit ut nesciat minister num iure prohibeatur necne: «Quilibet praesumitur bonus, nisi malus certo probetur», uti statuit regula iuris in canonibus 843 par 1, 912 et 18 applicata⁴.

³ C. 796 par. 1: «Christifidelibus ius est sacramenta petendi et recipiendi ab Ecclesiae ministris; ministri vero eadem denegare non possunt iis qui opportune eadem petant, rite sint dispositi, nec iure ab iis recipiendis prohibeantur».

⁴ Cfr. v.gr. E. GENICOT, I. SALSMAANS, *Institutiones Theologiae Moralis*, vol. I-II (Louvain, Bruxelles, 1931 [12]), hic vol. I,

Non inquirere debet qui distribuit sacram communionem dispositionem intentionemque christifidelium qui ad Agni dapes accedant. Qua de causa in commissione novum codicem parante cuiusdam consultoris propositio non accepta est secundum quam verba «rite dispositus» in aliquo canone addenda essent⁵. Soli parrocho officium est advigilandi ne ad primam communionem accedant pueri qui «rationis usum non sint adepti aut quos non sufficienter dispositos iudicaverit» (c. 914). Quo in casu parrocho de dispositione iudicandum est. Vel etiam si dubium adsit num in aliquo casu revera grave sit peccatum quod intrinsece malum necessarie non sit.

Si minister qui Domini corpus distribuit mortalem non habeat certitudinem communicaturum haud esse admittendum, eum admittat.

His dictis clarius adhuc elucet canonis 915 verborum momentum et vis.

In codice anni 1917 alio modo haec materia tractabatur. Ad rem statuebat canon 855:

par. 1: «Arcendi sunt ab Eucharistia publice indigni, quales sunt excommunicati, interdicti, manifestoque infames, nisi de eorum poenitentia et emendatione constet et publico scandalo prius satisfecerint».

par. 2: «Occultos vero peccatores, si occulte petant et eos non emendatos agnoverit, minister repellat; non autem, si publice petant et sine scandalo ipsos praeterire nequeat».

nr. 121, p. 108; J. AERTNYS, C. DAMEN, *Theologia Moralis*, vol. II (Augustae Taurinorum, Buscoduci, 1928 [11]), nr 22, p. 21.

⁵ In codice canon est 912, cfr. *Communicationes* 13 (1981), p. 411.

Verba huius canonis iam exstabant in *Rituale Romanum* anni 1614. «Rituale ante annum 1925 inter infames, per modum exempli, recensebat usurarios, magos, sortilegos, blasphemos»⁶.

Novae tamen formulae introductae sunt in codicis schemata. In schemate anni 1980 in canone 867 legitur:

«Ad sacram communionem ne admittantur qui graviter et publice deliquerunt et in contumacia manifesto perseverant».

Anno 1981 disceptando ad schema animadvertetur novam formulam huius canonis nimis veteris codicis disciplinam temperare. Quae animadversio reiecta est cum omnia necessaria viderentur adesse elementa: gravitas actus, eiusque publicitas, necnon peccatoris contumacia. «Certo certius textus respicit etiam divortiatos et renuptiatos»⁷.

Verborum canonis mutationis ratio haud fuit Ecclesiae disciplinae innovatio in re, ut clare demonstrat consultorum codicem parantis commissionis disceptatio: non erat commissionis novam introducere disciplinam moralem, sed accuratius exprimere de moribus doctrinam vigentem⁸.

⁶ E. REGATILLO, M. ZALBA, *Theologiae moralis summa*, vol. III (B.A.C. 117, Matriti, 1954), p. 233. Verba in *Rituale* inveniuntur sub tit. IV, caput 1, nrs 8-9.

⁷ Responsum est: «Textus sufficit cum omnia requisita habeantur: actus gravitas, nempe, et publicitas actus necnon contumacia. Certo certius textus respiciat etiam divortiatos et renuptiatos» (*Comm.* 15 (1983), p. 194).

⁸ Cfr. *Comm.* 13 (1981), p. 412: «Nonnulli in animadversionibus petierunt ut hoc in loco textus exhibeatur qui praevideat possibilitatem adeundi ad sacram communionem pro fidelibus

Fons unus, quem praebent in calce canonis 915, est veteris codicis canon 855⁹.

Qua de re mutationis ratio potius videtur quaerenda in Ecclesiae doctrina rectius in canone enuntianda, adductis Magisterii ac moralistarum canonistarumque explicationibus post codicis anni 1917 promulgationem praestitis.

Eo codice vigente auctores declarabant sacramenti collationem indigno non esse actionem intrinsece malam, ideoque interdum tolerandam quin immo suadendam. Sacrae communionis indigno ministratio dici potest materialis cooperatio alterius peccato data, quae igitur permittitur quotiescumque adsint rationes proportionate graves et bona ministri intentio¹⁰.

Quod patet etiam ex paragrapho 2 veteris codicis canonis 855, secundum quam peccatores occulti non erant repellendi si publice peterent sacramenta. Peccatores publici tantum erant illi quorum indignitas communiter nota erat vel facile divulgaretur. Qua de causa ii peccatores in locis ubi condicio eorum ignorebatur, peccatores occulti quandoque aestimari

divortiatis et denuo coniugatis. Omnes Consultores concordant Commissionis non esse de istis decernere; erit Sanctae Sedis quaestioni respondere».

⁹ PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS CANONICI AUTHENTICE INTERPRETANDO, *Codex iuris canonici*, fontium annotatione et indice analytico-alphabetico auctus (Libreria Editrice Vaticana, 1989).

¹⁰ De omnibus hic dictis videas v.gr. GENICOT, SALSMAINS, *Institutiones...* o.c., vol. I, nr. 235, pp. 181-183; vol. II, nr. 121-123, pp. 108-110; J. AERTNYS, C. DAMEN, o.c., p. 19; H. NOLDIN, A. SCHMITT, *Summa theologiae moralis*, pars III De sacramentis (Lipsiae, 1941 [27]), p. 32. De sacra communione Iudae Iscarioth apostoli in ultima cena, videas: S. THOMAS AQUINAS, S. TH. III. Q. 81, A.2.

poterant¹¹. Publice indigni non semper videbantur arcendi: canon 855 par. 1 patiebatur exceptiones. Ob metum damni gravissimi, verbi gratia, collationem sacramenti licere alicui qui secundum canonis principia arcendus erat, putabant non pauci auctores¹². Quinimmo impletionem condicionum quas refert idem canon («Arcendi sunt... publice indigni... nisi de eorum poenitentia et emendatione constet et publico scandalo prius satisfecerint»), sufficienter adesse aestimabant auctores, cum publica confessio prudenter praesumi poterat ratione vitae condicionis externae — v.gr. concubinatus — mutatae¹³.

Expressio «arcendi sunt» in textu iuridico minus recta videtur, cum secundum generalia principia moralia cooperatio materialis aliquando communionis ministro liceat. Melior videtur nova formula «non admittendi sunt», quae quidem non permittit cooperationem formalem communioni indigni datam, etsi materialem cooperationem non semper excludit. Admittendi ergo non sunt, qui fortasse aliquibus in casibus propter rationes proportionate graves non sint arcendi sed tolerandi.

Relicta insuper est legislatio de occultis peccatoribus, quibus Eucharistiae sacramentum erat distribuendum si publice id peterent nec sine scandalo praeteriri possent¹⁴. Quae canonis expositio una erat

¹¹ E. REGATILLO, M. ZALBA, *Theologiae moralis summa*, vol. II (Matriti, 1953), p. 36; NOLDIN, SCHMITT, o.c., p. 33.

¹² GENICOT, SALSMAANS, o.c., vol. II, p. 109; AERTNYS, DAMEN, o.c., p. 19. 20-21; cfr. «Lex ecclesiastica non obligat tanto cum incommodo».

¹³ V.gr. GENICOT, SALSMAANS, vol. II, p. 109.

¹⁴ CIC 1917, c. 855 par. 2: «Occultos vero peccatores si occulte petant et eos non emendatos agnoverit, minister repellat; non autem si publice petant et sine scandalo ipsos praeterire nequeat».

ex quaestionibus in theologiae moralis libris manualibus — non semper cum eadem solutione — tractatis. In canone 915 codicis actualis nova quam tulerunt formula eae omnes quaestiones de materiali cooperatione praestanda, remittuntur ad doctrinam. Solummodo statuitur eos, qui in canone enumerantur, ad sacram synaxim *non admittendos* esse.

Ne de *publicitate* quidem peccati in canone adhuc sermo fit. Secundum codicem anni 1917 «*publice indigni*» arcendi erant; quibus verbis sequebatur enumeratio aliquorum exemplorum: «..quales sunt excommunicati, interdicti, manifestoque infames» (c. 855 par. 1). Publicus erat peccator cuius crimen divulgatum erat vel facile divulgaretur¹⁵. Textus codicis anni 1983 elenchum praebet taxativum: «..ne admittantur excommunicati et interdicti post irrogationem vel declarationem poenae aliique in manifesto gravi peccato obstinate perseverantes» (c. 915). Qui ergo est baptizatus (c. 912) in Ecclesia catholica vel in eadem receptus (cfr. c. 844) atque primam iam accepit sacram communionem (cfr. c. 914), ab Eucharistia ne arceatur, nisi in hoc canone expresse enumeretur.

¹⁵ Cfr. v.gr. GENICOT, SALSMANS, o.c., vol. II, p. 108. nr. 122: «Publici peccatores censendi sunt quorum gravia peccata iam communiter cognita sunt, vel per sententiam iudicis, vel per evidentiam facinoris in loco publico commissi aut per famam iam ad multos delati. Neque obstat crimen aliquibus ex praesentibus esse occultum. (...) Probabilius vero non est negandum sacramentum publice petenti peccatori, cuius peccatum nondum est communiter cognitum...(..). Semper excipiendi sunt casus in quibus minister prudenter timere debet ne concesso sacramento oriatur grave scandalum fidelium, puta si brevi ad hunc locum notitia huius criminis perventura praevidetur»; AERNYS, DAMEN, o.c., p. 19, nr. 21.

Excommunicato vel interdicto non permittitur sacrae communionis receptio (cc. 1331 par. 1, nr. 2; 1332). Cum latae sententiae poenae non incurrantur nisi gravis sit imputabilitas¹⁶, his sanctionibus prementibus corpori Christi ne communicet christifidelis, «nisi adsit gravis ratio et deficiat opportunitas confitendi» (c. 916). Quae regula generalis pro casibus in quibus peccati gravis conscius est aliquis, in canone 1352 par. 2 pressius determinatur pro excommunicatione vel interdicto gravatis. Periculum gravis scandali vel infamiae ibi pro gravi ducitur ratione, quae obligationem poenam servandi suspendit, nisi poena sit notoria in loco ubi delinquens versetur¹⁷. Si poena ab ecclesiastica auctoritate irrogetur vel declaretur, vetitum Eucharistiae participandi etiam valet in foro externo ac prohibeatur ne excommunicati interdictique ii ad sacram admittantur communionem (c. 915).

Alii insuper, qui «in manifesto gravi peccato obstinate» perseverant, ne admittantur ad sacram communionem, idem statuit canon. Manifestum est peccatum quod est certum, definitum ac clarum atque saltem in se publicum («quod probari in foro externo potest», c. 1074).

Verbis utitur «grave peccatum». Non autem requiritur ut de gravi imputabilitate coram Deo actus peccaminosi iudicet minister. Quod iudicium certum et definitum ab homine non pronuntiatur. Ne de

¹⁶ C. 1321 par. 1: «Nemo punitur, nisi externa legis vel praecepti violatio, ab eo commissa, sit *graviter imputabilis* ex dolo vel ex culpa»; cfr. c. 1324 ubi in par. 1 enumerantur causae delicti gravitatem deminuentes et in par. 2 habetur: «In circumstantiis, de quibus in par. 1 reus poena latae sententiae non tenetur».

¹⁷ Cfr. etiam cc. 1335; 1352 par. 1; 976; 977.

internis quidem iudicet minister cum agatur de iudicio in foro externo a communionis ministro prolato num aliquis ad sacram communionem non admittendus sit¹⁸. Peccatum ergo, de quo in canone 915 sermo fit, est *materiale*, seu actus obiective malus et gravis, absente sine dubio materiae parvitate, quam dicunt, cum «numquam grave peccatum affirmari debeat, si de eo certo non constet»¹⁹. Agitur de peccato, quod *spectato obiecto* grave est²⁰. Si actus, obiecto spectato, gravis nequit esse vel si parvitas materiae datur vel

¹⁸ Minus recta videtur opinio ab aliquibus auctoribus fulta. Videas KL. LUEDICKE, *Münsterischer Kommentar zum Codex Iuris Canonici* (Essen, 1985ss.): «Ob etwas überhaupt Sünde ist läßt sich nicht anhand eines äußeren Verstoßes gegen die für das Leben eines Christen geltenden Forderungen feststellen, sondern verlangt zugleich ein Urteil darüber, ob der Verstoß subjektiv den Charakter einer Auflehnung gegen Gott hat»; AAVV, *The code of canon law, a text and commentary* (Mahwah N.Y., 1985), p. 653: «The minister cannot assume, for example, that the sin of public concubinage arising from divorce and remarriage is always grave in the internal forum».

¹⁹ NOLDIN, SCHMITT, o.c., De principiis (Ratisbona etc., 1941 [28]), pp. 293-294.

²⁰ P. IOANNES PAULUS II, *Adhortatio Apostolica Reconciliatio et Paenitentia*, 2 dec. 1984, in: AAS 77, (1985), pp. 185-275, nom. nr. 16, p. 215 et nr. 17, p. 221: «Addatur oportet...quaedam peccata, quod ad eorum materiam attinet, esse *intrinsecus* (!) gravia et mortalia. Sunt enim actus, qui per se ipsos et in se ipsis, extra adiuncta, propter obiectum suum semper sunt graviter illiciti»; cfr. v.gr. NOLDIN, SCHMITT, o.c., De principiis, p. 290, nr. 292; pp. 294-295, nr. 297; B. HAERING, *Das Gesetz Christi*, vol. I (Roma, 1961 [6]), pp. 408-409; G. GRISEZ, *The way of the Lord Jesus*, vol. I Christian moral principles (Chicago, 1983), p. 316: «Any choice which is not what it morally ought to be can be called «sin», but sometimes such a choice does not violate conscience because one is unable to make a judgment of conscience or one's conscience is in error».

praesumi potest, aliquis «in gravi peccato» materiali esse dici nequit.

Nequaquam semper facile est decernere si agatur de gravi peccato materiali necne²¹. In aliquibus autem casibus expresse Magisterii scripta praebent normas. De catholicis qui «solum civile matrimonium contrahere malint, reiecto vel saltem dilato religioso», statuit apostolica adhortatio *Familiaris consortio*: «...ecclesiae pastoribus, pro dolor, non licet eos ad sacramenta admittere»²². Quod vetitum excludere tamen non videtur licentiam ad matrimonii sacramentum celebrandum concessam, cum illo foederi sacramentali sit indoles omnino peculiaris²³. De catholicis qui, divortio accepto, ad novam transeant convivendi societatem, eadem declarat adhortatio:

«...Ecclesia inculcat consuetudinem suam, in sacris ipsis litteris innixam, non admittendi ad eucharisticam communionem fideles, qui post divortium factum novas nuptias inierunt. Ipsi namque impediunt ne admittantur, cum status eorum et condicio vitae obiective dissideant ab illa amoris coniunctione inter Christum et Ecclesiam quae Eucharistia significatur atque peragitur. Restat praeterea alia peculiaris ratio pastoralis: si homines illi ad Eucharistiam admitterentur, in errorem turbationemque inducerentur fideles de Ecclesiae doctrina super indissolubilitate matrimonii»²⁴.

²¹ Cfr. *Reconciliatio et Paenitentia*, cit., nr. 17, p. 218.

²² 22 nov. 1981, in: *AAS* 73 (1981), pp. 81-191, hic: nr. 82, p. 183.

²³ Cfr. Declaratio S. OFFICII, 11 aug. 1949, de communistarum matrimonii celebratione, in: *AAS*, 41 (1949), pp. 427-428.

²⁴ Cit., nr. 84, pp. 185-186; cfr. *Comm.* 15 (1983), p. 194; SYNODUS EPISCOPORUM (1981), Propositionem *Post disceptationem*, 24 oct. 1980, prop. 14, 3, in: *Enchiridion Vaticanum* (= EV) 7 (Bologna, 1982), nr. 726; Theses COMMISSIONIS THEOLOGICAE INTERNATIONALIS, in: EV 6, nr. 474 et 508.

Quod pari ratione valet pro eis qui in concubinato seu libera convivunt unione. Et ii dicuntur «...in manifesto gravi peccato perseverantes»²⁵. A fortiori includuntur his verbis homines qui homosexuali necessitudine coniuncti convivant, cum actus homosexuales contra finem sexualitatis naturalem et in se semper ordinis moralis graves sint violationes²⁶.

De associationum massonicarum membris anno 1983 congregatio pro doctrina fidei declarationem publici iuris fecit, qua confirmatur Ecclesiae iudicium negativum etsi in Codice Iuris Canonici eiusdem anni expressa harum associationum non fieret mentio. Enuntiat declaratio quam Summus Pontifex approbavit: «Christifideles qui associationibus massonicis nomen dant in peccato gravi versantur et ad sacram communionem accedere non possunt», quia earum associationum principia inconciliabilia sunt cum Ecclesiae doctrina²⁷. Ergo, si pateat aliquem sine dubio membrum esse talis associationis, secundum hanc declarationem in peccato gravi versatur, quod «manifestum» dicendum est, nec ad sacram admittendum

²⁵ C. 915; P. IOANNES PAULUS II, Litt. Ap. *Iusti Iudicis*, 28 iunii 1988, art. 6 par. 1, in: *Comm.* 20 (1988), pp. 65-68; hic: p. 67: «Qui in concubinato vivunt aut matrimonio civili tantum iuncti sunt vel aliter manifesto in gravi peccato perseverant»; cfr. *Fam. Consortio*, cit., nr. 80-81, pp. 180-183.

²⁶ S. CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, Decl. *Persona humana*, 29 dec. 1975, in: *AAS* 68 (1975), pp. 77-96, nom. pp. 85 et 89: «Atqui secundum christianam traditionem Ecclesiaeque doctrinam, et sicut recta ratio agnoscit, ordo moralis sexualitatis amplectitur bona vitae humanae adeo praestantia ut omnis directa violatio eiusdem ordinis obiective sit gravis».

²⁷ Decl. *Quaesitum est*, 26 nov. 1983, in: *AAS* 76 (1984), p. 300; cfr. Responsum eiusdem congregationis in: X. OCHOA, *Leges Ecclesiae*, vol. V (1973-1978, Roma, 1980), nr. 4205, col. 6606; c. 1374.

esse videtur communionem. Nonnulla autem remanent dubia in casibus concretis, cum — etsi localibus auctoritatibus ecclesiasticis non liceat circa naturam alicuius massonicae associationis iudicia *publica* proferre — tamen *pro casibus particularibus* diiudicandis, agnovit notificatio congregationis pro doctrina fidei anni 1974 publici iuris facta, associationes massonicas existere posse quae contra Ecclesiam non machinentur. Qua de causa etiam poenae sub codice praecedenti statutae, non semper incurrebantur²⁸. Ideo in casibus particularibus associationi massonicae adscriptus ad sacram communionem fortasse admitti possit, si associationis membrum est quae contra Ecclesiam non machinetur.

Eadem declaratio diei novembris 1983 adstruxit rationem cur silentio praetereat codex easdem associationes:

«Sacra haec congregatio respondere valet talem circumstantiam tribuendam esse criterio in redactione adhibito, quod servatum est etiam quoad alias associationes pariter silentio praetermissas eo quod in categoriis latius patentibus includebantur»²⁹.

Anno 1949 sanctum Officium respondit quaestionibus de christifidelibus qui partibus communistarum eorum nomen darent. Qui *scienter et libere* istis adhaereant partibus, vel edant, propagent vel legant libros, periodica, diaria vel folia, quae doctrinae vel actioni communistarum patrocinantur vel in eis scri-

²⁸ Notificatio diei 18 iulii 1974, in: ОЧОА, o.c., nr. 4309, col. 6835; videas et declarationem diei 17 februarii 1981, in: ОЧОА, o.c., vol. VI (Roma, 1987), nr. 4832, col. 8140; cfr. decl. cit. 26 nov. 1983.

²⁹ Decl. cit. in loco.

bunt, ad sacramenta admitti non possunt «secundum ordinaria principia de sacramentis denegandis iis qui non sunt dispositi»³⁰.

His verbis patet eos christifideles nonnumquam admittendos esse, si nempe nescienter vel non libere nomen suum istis dederint partibus. In aliquibus casibus enim inscriptio est mere «materialis»; ita v. gr. saepius opifices coacti fuerint ut inscriberent. Si haud constat adhaesionem esse formalem (scienter, libere...) id membrum admittendum est³¹. Insuper decreti citati verbis non excluditur matrimonii communistarum celebratio «attenta speciali natura sacramenti matrimonii»³².

In casibus ergo in quibus de admissione membrorum communistarum partium vel massonicarum associationum est decernenda, «dispositio» istorum membrorum ponderetur. Membra admittantur si associatio cui inscripta sint, in casu contra fidem et Ecclesiam

³⁰ Decretum *Quaesitum est*, 1 iulii 1949, in: AAS 41 (1949), p. 334.

³¹ J. CREUSEN, «Le décret du Saint-Office du 1er juillet 1949 sur le communisme», in: *Nouvelle Revue Theologique* 71 (1949), pp. 864-870, nom. p. 868: «Il est évident que le prêtre doit tenir compte de ces faits quand il s'agit d'admettre aux sacrements les victimes de cette violence morale»; cfr. P. PALAZZINI, *Dictionarium morale et canonicum*, vol. I (Roma, 1962), p. 797, s.v. communismus: «Inscriptio materialis, passiva, si peragitur "ex causa proportionate gravi", non est actus intrinsece malus (...). Si autem non est notoria formalis adhaesio alicuius christifidelis factioni communistarum, sacerdos administrare s. communionem eidem potest, si publice petat».

³² S. OFFICIUM, Declaratio 11 aug. 1949, cit., in loco: «Attenta speciali natura sacramenti matrimonii, cuius ministri sunt ipsi contrahentes et in quo sacerdos fungitur munere testis ex officio, sacerdos assistere potest matrimoniis communistarum ad normam canonum 1065, 1066».

non machinetur vel eorum inscriptio sit «materialis» tantum. Hoc modo iudicetur de ipsius actus moralitate.

CONCLUSIO

Canon 915 agitur de admissione ad sacram communionem a communionis ministro. Admittendus est qui iure non est exclusus. Iure autem exclusi sunt excommunicati et interdicti post irrogationem vel declarationem poenae alique in manifesto gravi peccato obstinate perseverantes. Communionis minister in foro externo iudicat ut aliquis admittatur considerans actus gravitatem in se seu materiale. Ut natura ipsius actus recte ponderetur, aliquando autem necessaria est cognitio actus pro re profundior. Exempla adducuntur in decretis declarationibusque de membris massonicarum associationum vel factionum communistarum latis. Si autem constat actum in se gravem esse, qui in eo obstinate perseverat ad sacram ne admittatur communionem.

Verba «ne admittantur» canonis actualis codicis, quae differunt a dictis canonis 855 § 1 codicis veteris, non mutant Ecclesiae disciplinam. Inveniuntur in non paucis Ecclesiae scriptis meliusque exprimunt, ut videtur, indigni admissionem materiale esse cooperationem alterius peccato datam, quae ministro interdum liceat propter rationes proportionate graves. De his rationibus, quarum aliquae in codice anni 1917 explicabantur quaeque in doctrina canonica et morali — Magisterii sententiis adductis — potius evolvendae erunt, in codice nostro nihil expresse dicitur.

JAN HENDRIKS